

RECITATIONVM  
IN ACADEMIA GISSENSI

---

A  
SINGVLIS

OMNIVM ORDINVM  
PROFESSORIBVS  
SEMESTRI AESTIVO

A. R. S. MDCCCXXI.

DIE XV. APR. INCHOANDARVM


ET

DIE V. OCTOBRIS ABSOLVENDARVM

---

T A B V L A.

---



G I S S A E,

LITTERIS IOH. JAC. BRAVNII ACAD. TYPOGR.

ALMAE LVDOVICIANAE  
RECTOR  
ANDREAS BOEHM

PHILOSOPH. ET MATH. P. P. O. BIBLIOTH. ACAD. PRAEF.

NEC NON

SERENISSIMO HASSIAE LANDGRAVIO A CONSILIIS  
RERVM METALLICARVM

CVM SENATV.

**H**ippomenem Megarei, Neptuni e progenie, filium cum Atalanta, Schoenei regis in Scyro filia, de cursus quondam velocitate certasse, eamque mira alias pedum agilitate celebrem, & homines vtriusque sexus fere omnes superantem, tribus malis aureis, sensim inter currendum in terram proiectis, quibus colligendis currens Atalanta fuerit retardata, vicisse, *Ovidius* fabulatur *Metam.* libro X. fab. 13. Varias a variis huius fabulae explicationes & accommodationes, quas *ἐπιμύθια* vocamus, excogitari memini, quarum in veritatem aut falsitatem inquirere ab instituto nostro nunc esse alienum videtur. Nos, dum vniuscuiusque iudicio, quam morum inde cogere doctrinam velit, lubentes permittimus, illustrem in hac fabula studiorum ab academicis civibus tractandorum imaginem animadvertimus; quatenus nimirum & haec multis saepius & variis modis retardantur, quoque minus satis cito est feliciter ad eam, quae ipsis proposita est, metam perveniant, impediuntur. Anni academici quasi stadium sunt, quod litterarum cultoribus, ut illud decurrant, proponitur, quoque ad calcem usque decurso divinae aequae, ac humanae sapientiae thesauri assidue & pertinacioris diligentiae veluti praemia promittuntur.

Stadium hocce, praemiorum propositorum cum spe minime dubia & plane explorata, decursurus Atalantae similis, & egregia non quidem corporis, sed tamen mentis velocitate esse praeditus debet. Quemadmodum enim qui tardioris aut stupidioris ingenii sunt, & quibus ceteroquin parum adiumenti ad litterarum studia benignior natura concessit, rectius faciunt, si ab hisce se sacris abstinant, aliisque sese destinari laboribus patiuntur, in quibus manum potius atque corpus exercere, quam ingenium atque mentem debent: ita in artibus liberalibus atque ingenuis, quas litterarum alias studia appellamus, ii soli felices, quos optant, quos expectant, profectus facient, *quos meliore luto finxit praecordia Titan*, quique, almae naturae beneficio, sensibus acutis, memoria celeri atque fida, imaginatione bona & vivida, iudicio acri, ingenio docili, secundo, & ad litteras nato, verbo, omnibus iis mentis dotibus satis sunt instructi, quarum ad-

mini-

miniculo solo faustus atque laetus Musarum ad sacraria nobis aditus aperitur.

Sola interim mentis in adolescente litterarum studioso ingenii-que agilitas tantum abest, ut rem totam conficiat, ut oleum potius & opera, ut sumtus aequae, ac tempus omne perdantur, nisi concitatus in decurrendo litterarum stadio proposito fervor & studium continuum, nulloque tempore intermissum accesserint, sine quibus maxima saepius ingenia medio in cursu subsistere, atque de spe sua omni deiici, quotidiana, eaque tristi, experientia docemur. Carius constat solidioris cognitionis apparatus, quam ut otio & desidia ematur. Ardua & aspera ad gloriam in uniuersum via est, neque ea, quam ex litterarum abundantia consequimur, adeo deterioris conditionis est, ut aliis adminiculis, quam multo labore & sudore, molestia multa, vigiliisque pareatur.

Verum enim vero quemadmodum in hoc studiorum academicorum cursu non plana ubique & expedita itinera deprehenduntur, ita quoque Musarum filiis cum Hippomene quodam cerrandum est, ingenii atque diligentiae ipsorum laudi refragante, cursusque eorundem celeritatem retardaturo, moraturo. Cuius a fraudibus nisi sollicitè sibi caverint mentes liberales, atque ingenuae, mox poenitendas incuriae suae dare poenas cogentur. Innumera illa, quibus cincta, quibus stipata est adolescentium aetas, studiorum & industriae avocamenta intempe, dum invidum illum, malevolum, & fraudulentum Hippomenem nomino. Corruptelarum illecebrae, quibus animus improvidus quam facillime irretiri, & ad ignaviam, petulantiam, impuritatem, aliaque, quae homini in primo aetatis flore constituto valde plerumque arrident, vitia incitari solet, tot quasi mala aurea, seu potius inaurata sunt, quae Hippomenes ille improbus quam longissime a via, diuersa in latera, proicit, quibusque mens fraudum eiusmodi adhuc ignara, rerumque suarum incuriosa quam facillime decipitur, ut, sicut quondam Atalanta,

*obstupeat visu, nitidique cupidine pomum  
declinet cursus, aurumque volubile tollat.*


Atque ita quotidie fere fieri solet, ut praeteritos in cursu suo videamus litterarum cultores, suaeque victor praemia ducat. Ita accidit, ut ex centum stadium academicum currentibus vix decem paucioresve reperiantur, qui, quem instituerunt, cursum feliciter conficiant. In reliquos tritum illud quadrat prouerbum: *initium fervet, medium tepet, ultima frigent*, atque omnes vel tandem ausis suis excidunt.

Ficta & commentitia sunt, CIVES AMANTISSIMI, CARISSIMI, quae VOBIS de Hippomenis cum Atalanta certamine Naso, me interprete, proposuit. Sed veri simul imaginem in iisdem cernitis. VESTRAE VOBIS inde vitae academicae praecepta ef-

ficite prudentiaeque regulas sancte in posterum a vobis religio-  
seque servandas. Novum nunc vobis studiorum vestrorum sta-  
dium, novum curriculum aperimus. Artem longam esse ex iis,  
quae sequuntur, videre poteritis. Sed vita nostra brevis est &  
horae potissimum ruunt pauciores illae, intra quas amplius ille &  
tot tantisque intervallis distinctus scientiarum campus vobis eme-  
riendus est. O ter felicem, quaterque beatum, qui, spreto ma-  
gno animo inauratis Hippomenis malis omnibus, temporis, sibi  
concrediti, ita rationem habet, eius ut ne momentillum aut pigri-  
tia & ineptiis, aut diligentia in tractandis litterarum studiis per-  
verso ordine adhibita disperdat, quamque fortasse antea fecit.

--- *moram celeri cessataque tempora cursu  
corrigit & sua sic multos post terga relinquat.*

P. P. sub sigillo academiae maiori Kal. Aprilibus A. S. R. CIOCCCLXXI.



## *Institutiones Theologicae.*

### D. IO. HERMANNVS BENNER

1) **P**ublicis praelectionibus *historiae ecclesiasticae dicatis*, hora XI. fungetur.  
*Privatim* 2) Notitiam salutis nuper absolutam denuo totam pertracta-  
bit hora consueta nona. 3) Addet theologiam *practicam* ad finem  
compendii sui, vel hora X. vel si placet alia, totamque absoluet,  
nec defuturus eorum alacritati, quibus specimina vel publice danda, vel pri-  
vatim, placebunt.

### D. IO. GEORGIVS BECHTOLD,

*b. a. Decanus.*

Sequentes hoc semestri aestivo finiendas lectiones habebit. *Publice hora VII.*  
antemeridiana diebus Mercurii & Saturni praecepta homiletica tradet. *Pri-  
vatim hora ead.* diebus Lunae, Martis, Iouis & Veneris theologiam thetico-po-  
lemicam duce Ven. *Gumero* praeleget. *Hora X.* diebus Mercurii & Saturni  
theologiam symbolicam duce Ven. *Walchio* filio interpretabitur. *Hora ead.* die-  
bus Lunae Martis Iouis & Veneris in illustris *Dariesii* Iurisprudentiam V. seu  
Ius Naturae commentabitur. *Hora II.* pomerid. diebus Mercurii & Saturni  
praelectiones thetico-polemicas continuabit. *Hora ead.* diebus Lunae, Martis,  
Iouis & Veneris collegium in hermeneviticam S. aperiet.

### D. CAROL. FRIDERIC. BAHRDT.

Sequentia aperiet collegia semestri hoc aestivo maxima ex parte absoluenda.  
*Publice hora VII.* theol. catecheticam docebit diebus Mercurii & Saturni.  
*Privatim hora ead.* exercitia homiletica instituet diebus Lunae & Iouis. *Hora VIII.*  
universam theologiam, dogmaticam aequae, ac moralem per omnes sex hebdoma-  
dis dies ita tradet, ut in dogmaticis b. *Baierum*, in moralibus *suum* systema se-  
qua-

quatur, totumque laborem intra anni spatium absoluat. *Hora IX.* diebus Lunae, Martis Iouis & Veneris Nouum Testamentum Graecum ea ratione interpretabitur, vt integram scriptorum huc pertinentium exegetin intra triennium ad finem perducat. *Hora ead.* diebus Mercurii & Sabbati H. E. duce *Rechenbergio* praeleget intra anni spatium finiendam.

### *Recitationes Iuridicae.*

#### D. IO. CHRISTOPHORVS KOCH

Publice ius cambiale hor. III—IV. Priuatim Institutiones Iustinianae, duce HEINECCIO, hor. XI—XII. Pandectas, duce I. H. BOEHMERO, hor. IX—X. & II—III. Ius criminale, ex compendio suo, hor. X—XI. Ius canonicum, duce G. L. BOEHMERO hor. VIII—IX. docebit. Disputatorium denuo offert, & Dominorum Commilitonum studia quoquo modo iuuare nunquam deerit.

#### D. CHRISTIANVS HARTMANNVS SAMVEL GATZERT.

Publice hor. III—IV. *Theoriam Processus ciuilis ad Ordinationem Patriam* sueto more tradet ita, vt *summorum simul imperii tribunalium* rationem habeat. Priuatim, in vicem iuris Germanici priuati per hiemem absoluti, *Ius feudale ad MASCOVIVM* hor. VIII—IX. *Historiam Imperii ad PÜTTERVM*, suppeditatis ad *Prolegomena Artis Diplomaticae* praeceptis potissimis, hor. IX—X. denique *Ius publicum Germanicum ad Pütteri Schmauffii* libellum docebit; denuo quoque paratus ad *Collegium*, quod aiunt, *Practico-relatorio-elaboratorium*.

#### LVDOVICVS IVLIVS FRIDERICVS HOEPFNER


Publica institutione hor. VIII—IX. ius romanorum antiquum ex propriis schedis docebit. In scholis priuatis hor. XI—XII. elementa iuris Iustiniani praeunte Io. Ludouico Schmidio in institutionibus iuris ciuilis, anno proxime praeterlapso editis, & hor. II—III. historiam iuris ex *Selchouii Geschichte der in Teutschland geltenden Rechte* interpretabitur. Examina priuata & alias acroases desiderantes ad omnes, quibus sufficit, labores pro commodis ipsorum suscipiendos habebunt eum quam paratissimum.

### *Praelectiones Medicae.*

#### D. IO. WILHELMVS BAVMER,

*Med. Prof. primar.*

Hor. X. ter de hebdomade Cel. Dn. Ludwiggii institutiones pathologicae, & bis *Diaeteticam* nuper a se editam publice explicabit. Hor. XI. in laudati Autoris institutiones therapeuticas priuatim commentabitur. Hor. II. *Mineralogiam ad propria sua praecepta*, sub titulo *der Natur-Geschichte des Mineral-Reichs*



Reichs typis excusa, priuatim proponet, omniaque obiecta huc spectantia naturae curiosis ostendet.

## D. GEORG. LVDOVICVS ALEFELD

P. P. O.

Publice hora XI. mat. *fasciarum chirurgicarum* apparatus, methodumque istas applicandi monstrabit. In lectionibus priuatis praeter *Osteologiam*, hor. X. mat. ac *Physiologiam*, hor. II. pom. *Historiam quoque medicam* hor. III. nec non *Artem obstetriciam* hor. V. de nouo tradet.

## D. FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER,

Med. Prof. Ord.

Praelectiones botanicas hor. IX — X. instituet, ac in iis plantas, quae in horto medico aluntur, substrato systemate Linnaeano demonstrabit. Doctrinam de Venenis vegetabilibus, eorumque remediis hor. XI — XII. exponet.

### *Acroases Philosophicae.*

## ERNESTVS THOM,

Prof. philos. actiuae.

Publice oeconomiam, politiam & cameralem scientiam Dithmari hora I. VII. Wolfii ius naturae gentiumque, X. Thümmigii philosophiam moralem ac ciuilem & III. Becmanni praecepta rusticationis exponet.

## ANDREAS BOEHM,

Log. Metaph. & Mathem. P. P. O. Bibliothecae acad. praefectus.

Hora VII. matutina praelectiones *logicas*, hora VIII. *metaphysicas* de nouo ordietur. *Mathesin puram* hora I. *algebra* vero tempore auditoribus commodo docebit. *Philosophiam naturalem* tradet ad ductum primarum linearum physicae Celeb. HOLLMANNI. Plura desideraturis, quantum Rectoralis muneris impedimenta permittent, nunquam deerit. Bibliothecam publicam singulis diebus Mercurii & Saturni a hora I. vsque ad IV. aperiet.

## D. FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER,

Physic. Prof. Ord. Facult. Philos. h. a. Decanus.

Publice hor. VII — VIII. singulis diebus Mercurii & Saturni Doctrinam de aere & meteoris explicabit. Priuatim hor. VIII — IX. Elementa Physices tradet. Praeterea hor. II — III. P. Virgillii Maronis Georgicorum librum primum interpretabitur, eumque obseruationibus, tum physico - oeconomis, tum philologicis, illustrabit.

## IO. CHRISTOPH. FRIDERICVS SCHVLZ

LL. Orient. & Graec. P. P. O.

*Dicta Classica*, quibus in praecipuis religionis Christianae capitibus probandis utimur, explicabit publice hor. I — II. *Linguae hebraicae fundamenta* ad ductum Compendii sui, typis iam exscribendi, addita analysi partis libri *Iudicum*, docebit hora XI — XII. *Matthaeum ac Marcum*, praemissa breui *Introductione in N. T.* ad filum Compendii sui, sub tit. *Neue Einleitung in das Studium und die Kenntniß des N. T. exegeticis ac philologicis annotationibus* ita illustrabit, vt intra biennii spatium vniuersum Nou. Testam. ad finem perducatur, hor. II — III. Neque iis deerit, quibus *Arabicam* vel *Syriacam* linguam addiscere libet, dummodo certus ac constans auditorum numerus sese offerat — — *Historicam & politicam praecipuorum Europae regnorum notitiam* ex ill. *Achenwalli Staatsverfassung der heutigen vornehmsten Europaeischen Reiche und Voelker*, dabit; addita notitia polit. & histor. S. R. Imperii, quae huic Comp. deest, hora. IV — V.

## D. CHRISTIAN. HENRIC. SCHMID,

Pöeseos ac Eloquentiae P. P. O.

Per semestre aestiuum commilitonibus humanissimis enarrabit. 1) *Publice* notitiam litteraturae pöeticae ex libro suo: *Theorie der Pöese* hor. VIII — IX: matutina. 2) *Principia artis pöeticae* ex *Marmontelio* priuatim hor. II — III. Neque iis deerit, qui *exercendi styli* causa eum adire velint. hor. III — IV.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *Inculenta equitandi, pugnandi gladio, saltandique palaestra, Gallicae item & Italicae linguae scholis*, per magiströs carum, peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

